

cabat Pharao, sed dicit quod non imputabatur peccatum ex eo quod corde obdurato non poterat credere, sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur, supposita ergo obduratione cordis, et illa permanente, clarum est quod non poterat evitari peccatum, et ideo nec Pharaoni, nec alicui homini imputatur peccatum ex eo quod stante obduratione non se convertit, sed ex eo imputatur, quia videtur obdurari, et sic permanere ut peccet, sed quia absolute potest converti tollendo obdurationem non denegatur illi gratia sufficiens. Unde perperam Vazquez ex isto loco, et aliis similibus Augustino ipsi tribuit, quod senserit Deum negare hominibus aliquando gratiam sufficientem, cum potius constet ex Augustino libro de correptione et gratia, capite xi: « Quod si homini, vel Angelo defuisset adiutorium sufficiens, sua culpa non cecidisset. » Ergo omnis qui culpa caret habet gratiam sufficientem. Ad secundum locum Augustinus respondetur, ibi non agere de omni gratia sufficienti, sed solum de illa quæ datur ad supernaturaliter credendum, et ad salutem, quæ non semper omnibus datur secundum Augustinum.

## ARTICULUS II.

*Utrum gratia efficax intrinsece distinguatur a sufficienti, et ab intrinseco sit infallibilis?*

I. Efficax gratia ab Augustino variis nominibus appellari solet, vocatur enim: « Congrua vocatio, et bonæ voluntatis effectrix, gratia secundum propositum data, delectatio victrix, vires efficacissimæ, alia vocatio, et secreta gratia qua tollitur duritia cordis, » ac denique: « Gratia qua indeclinabiliter, et in-

separabiliter homo agit. » Cæterum propria, et magis ad scholasticum modum definitio gratiæ efficacis traditur ex professo ab Augustino loco supra citato de correptione et gratia, capite xii, ubi illam distinguit a gratia sufficienti, et dicit gratiam efficacem esse: « Illud adiutorium non solum sine quo aliquid non fit, verum etiam quo aliquid fit, » unde de perseverantia efficaci subdit: « Quod est tale donum, quo non nisi perseverantes sint. » Ergo secundum Augustinum donum gratiæ efficacis non ponit alium effectum in homine quam ut bene operans, seu perseverans sit. Et habet magnum pondus auctoritas hujus libri quantum ad hanc partem, ut ipse Augustinus fatetur de dono perseverantiæ, capite xxi: « In illo, inquit, libro cujus titulus est de correptione et gratia, qui sufficere non potuit omnibus dilectoribus nostris, puto me ita posuisse donum Dei esse etiam perseverare usque in finem, ut hoc antea, si non fallit oblivio, tam expresse atque evidenter, vel nusquam, vel pene nusquam scripserim. »

II. In hac ergo difficultate sine controversia conveniunt omnes gratiam efficacem distinguere debere a sufficienti, saltem in ratione gratiæ, et beneficii, est enim longe distinctum beneficium gratia, qua actualiter aliquis, et cum effectu operatur, vel perseverat, ab illa qua solum potest perseverare, vel operari. Difficultas vero est, an ista gratia efficax non solum distinguatur in ratione gratiæ, et beneficii a sufficienti, sed etiam in aliqua realitate, quæ per se, et intrinsece illam efficacem constituat. Nam quandoque genus gratiæ, et beneficii novi salvatur in aliquo extrinseco, sicut idem panis datus indigenti est magis beneficium quam pondus auri, idem tamen panis datus non indi-

genti, nec fame laboranti non est donum alicujus momenti, atque ita ex aliquo extrinseco crescit, vel decrescit ratio doni.

III. In hac parte notandæ sunt duæ principales sententiæ, quæ sunt quasi capita hujus controversiæ, quas aliæ sententiæ sequuntur, quæ voluerunt rigorem, et contrarietatem harum sententiarum moderari, sed non valuerunt. Prima est Molina, quam docet multis locis, præsertim i p. quæst. xxiii, art. iv et v, disp. i memb. vi et in concordia ad quæstionem xiv, art. xiii, disp. xxxvii et xxxviii, qui plane asseruit gratiam efficacem non habere efficaciam ex se, sed reddi efficacem ex consensu nostro libero, atque ita gratiam efficacem non distinguere in ipsa ratione intrinseca a sufficienti, sed solum extrinsece ratione nostri consensus secuti, quæ sententia aliis dicitur visa est, illamque voluerunt moderari, sed fere verbis, non re.

IV. Sumit autem hæc sententia suum fundamentum præcipue ex duobus. Primo, ex Concilio Tridentino sessione vi, cap. v, ubi dicit: « Quod tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, homo ipse agit, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest: » et canone iv, dicitur: « Liberum arbitrium motum, et excitatum posse dissentire si velit: » et Concilium Senonense decreto xv, dicit: « Quod auxilium Dei trahentis tale est, ut ei possit resisti. » In his locis Concilia loquuntur de gratia efficaci; tum, quia loquuntur de gratia, qua homo de facto convertitur, et agit; tum, quia hæretici contra quos agunt Concilia dicebant per gratiam efficacem tolli libertatem, non autem per sufficientem, unde ut definitio Concilii contra istos hæreticos teneat, loquitur etiam de gratia efficaci, alioquin perperam defi-

niret Concilium solum gratiam sufficientem non tollere libertatem, si gratia efficax tollebat, nihilque dicebatur contra hæreticos; ergo si hæc gratia efficax potest abjici a voluntate, potest consequenter frustrari suo effectu: ergo potest manere sufficiens, et consequenter non debet distinguere intrinsece ab illa, quod enim intrinsece distinguitur ab alio, non potest fieri illud. Secundo, fundatur Molina in eo quod si gratia efficax non potest reddi insufficientis, nec suo effectu carere, tollit libertatem, quia illa efficacia non est in manu voluntatis; et semel posita non potest divertere effectum cum sit intrinsece infallibilis; ergo posita tali gratia libertas perit.

V. Secunda sententia extrema est communis inter Thomistas, scilicet gratiam ex sua intrinseca natura esse efficacem independentem, et antecedenter ad consensum liberum, idque habere ex physica, et reali præmotione, seu prædeterminatione. Fundamentum præcipuum etiam est duplex. Primum, quia Augustinus et patres communiter dicunt gratiam efficacem esse quæ a nullo duro corde respuitur, nec impediri potest per liberum arbitrium, quin habeat effectum suum, hominemque agere infallibiliter, et indeclinabiliter, at vero gratia sufficiens frustratur effectu suo, et omne auxilium morale ex vi sua fallibile est, cum solum innitatur propositioni objecti quod contingenter movet; ergo sentiunt esse intrinsecam differentiam inter gratiam efficacem, et sufficientem. Major constabit ex auctoritatibus Augustini infra addendis. Consequentia vero manifesta est, quia si gratia redderetur efficax ex nostro consensu simpliciter loquendo, et secundum se, illa gratia posset frustrari, et impediri a voluntate nostra, si quidem ab illa habet quod non frustratur, atque ita



esset verum quod dicebant Semipelagiani, scilicet, quodcumque donum etiam ipsius perseverantiæ posse voluntate propria, aut retineri, aut amitti, ut de se ipsis refert S. Hilarius in epistola ad Augustinum, si quidem si non amittitur, et frustratur gratia efficax, est ex prævisione nostri consensus, non ex ipsa natura doni.

VI. Secundum fundamentum est, quia si gratia Dei dependet in sui efficacia a consensu nostro; ergo non prævidetur gratia esse efficax, nisi prius prævideatur dimanare consensus a voluntate, vel ergo prævidetur dimanare ab illa mediante gratia, et causalitate Dei, vel solum a causalitate voluntatis. Hoc secundum stare non potest, quia sic prævideretur aliquis effectus a Deo non influente ipso Deo. Si autem dicatur primum; ergo non ab ipso consensu gratia sortitur efficaciam, sed potius consensus a gratia, et certe cum Deus sit universalissima causa, perperam dicitur efficaciam gratiæ ejus dependere a nostro consensu, vel ab aliqua occasione, et tempore in quo datur, si illud ipsum tempus, et occasio, et consensus a Deo causantur, non ergo ejus causatio, et gratia expectant quid nostra voluntas factura sit.

VII. Propter istorum fundamentorum vim ortæ sunt aliquæ sententiæ, quæ rigorem sententiæ Molinæ voluerunt mitigare, et similiter aliæ voluerunt mitigare rigorem physicæ prædeterminationis, et reducere motionem gratiæ efficacis vel ad solum decretum Dei sine physica impressione in voluntatem, vel ad actus nostros indeliberatos, quibus de uno actu ad alium movemur. Sed utique irritò conatu processerunt. Nam primi reinciderunt tandem in sententiæ Molinæ, infallibilitatem gratiæ in solam præscientiam Dei reducentes; secundi vero non plene

explicant infallibilitatem omnimodam gratiæ, quæ operatur in tempore, nisi aliquid novum ponendo per quod gratia reddatur efficax, et distincta a sufficienti. Et quidem pater Suarez libro III de auxiliis, cap. VI, numer. VIII, et cardinalis Bellarminus libro primo de gratia et libero arbitrio, cap. XII sententiæ Molinæ rejecerunt, eo quod evertit infallibilitatem divinæ prædestinationis, et voluntatis ab intrinseco, et solum salvatur infallibilitas respectu præscientiæ, non respectu causalitatis, unde ex propriis voluntas Dei non habet infallibiliter facere quod voluerit, sed si velit infallibiliter procedere, debet se accommodare nostræ voluntati, non voluntatem nostram sibi. Quare isti auctores constituunt efficaciam gratiæ in duobus. Primo, in congruitate morali, quam habet gratia ad voluntatem sic vel sic dispositam; et secundo, in præscientia qua novit Deus non esse contemnendam suam gratiam, sed de facto operaturam; et cum ibi objiceret Suarez loco citato, cap. XIV, num. XIII, quod si vocatio ista attemperata, est necessaria ad singulos actus: ergo qui non habet illam caret aliquo necessario ad faciendos tales actus, et non est in potestate sua habere illam vocationem sic attemperatam; ergo non imputabitur ipsi perinde ac si non haberet physicam præmotionem.

VIII. Respondet num. XIV et XV, quod illa vocatio congrua, quæ est efficax non ponit aliquid in homine, quod non ponat vocatio sufficiens, sed solum addit ex parte Dei extrinsecam præscientiam effectus futuri, et totum hoc providentiæ genus est ex suppositione liberi usus prævisi saltem conditionate, unde nihil antecedens, et requisitum ad operandum deest homini ut vocatio sit congrua. Quod autem provideatur

pro hoc tempore habitura effectum est suppositio extrinseca orta ex præscientia Dei, et suppositione liberi consensus futuri, qui dependet a voluntate, ubi declinat omnino pater Suarez in sententiæ Molinæ, quia totam distinctionem efficacis gratiæ a sufficienti reducit ad nostrum consensum liberum prævisum a quo dependet, sicque infallibilitas illius est infallibilitas præscientiæ, non causalitatis, et prædestinationis. Et præterea illa moralis efficacia, seu congruitas in qua ponit consistere gratiam, non est infallibilis de se, et simpliciter, quia efficientia moralis sumitur ex objecto movente voluntatem, objectum autem in hac vita movet contingenter et fallibiliter, saltem quoad exercitium: ergo si gratia Dei solum consistit in morali congruitate, nunquam habet infallibilitatem simpliciter in sua causalitate, sed solum ex parte præscientiæ Dei, quod pro inconvenienti infert Suarez contra Molinam.

IX. Ab hac sententiæ Suarez non multum recedit Arrubal I p. disp. LXXXV, qui addit disputatione LXXXVI gratiam efficacem secundum suam entitatem dependere a nostra voluntate, nec dicendum est, quod pendet a consensu, sed a voluntate a qua fit ille consensus, unde voluntas per suam naturam est sufficiens reddere gratiam inefficacem, non tamen se sola, sed simul cum gratia est causa ut sit efficax, et respiciat effectum futurum. Sed in hunc auctorem duo loca Augustini librandasunt quæ ejus sententiæ labefactare videntur. Primus locus est epistola CVII contra Vitalem, ubi sic inquit Augustinus ex persona Vitalis: « Operatur quippe ille, dicis, quantum in ipso est ut velimus, cum nobis nota fiunt ejus eloquia, sed eis acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis prosit effici-

mus, quæ si dicis, profecto nostris orationibus contradicis. » Quæ Augustini consequentia eodem modo currit, sive eloquia Dei fiant nobis nota per prædicationem externam, sive per internam Dei propositionem, et vocationem. Difficultas enim cum Vitali non erat in eo quod per solam vocationem externam, vel per internam inspirationem nobis fierent nota eloquia Dei, sed in eo quod operante Deo quantum in ipso est, quando fiunt nobis nota ejus eloquia, nos efficimus, ut operatio ejus nihil prosit. Quod si hoc negat Augustinus quando operatio Dei est per extrinsecam prædicationem quanto magis quando per intrinsecam inspirationem. Dicere ergo quod nos reddimus inefficacem operationem Dei, omnino est contra D. Augustinum, atque adeo debet dici quod operatio Dei quæ inefficax a nobis non redditur, distincta est a sufficienti auxilio quod inefficax semper est ex nostræ voluntatis defectu.

X. Secundus locus Augustini est in enchiridio, cap. XXXII, ubi tractans illud Apostoli: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*: Si recte, inquit, non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non et e contrario recte dicitur non miserentis est Dei, sed volentis hominis, quia id misericordia sola non implet. Porro si nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed voluntatis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem, et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. » Unde fit argumentum contra Arrubal: Gratia ut sit efficax secundum ipsum, etsi non dependeat a consensu nos-



tro (si quidem consensus est effectus ejus) dependet tamen a voluntate a qua fit ille consensus; ergo sola misericordia Dei non sufficit reddere efficacem gratiam, nisi etiam adsit hominis voluntas a qua illa efficacia pendet, sed si sola misericordia Dei non sufficit, nisi simul cum voluntate hominis, infert Augustinus quod etiam verificari debet: « Quod non est miserentis Dei, sed voluntatis hominis, quia sola misericordia Dei id non implet; » ergo sententia Arrubal, et multo magis Molinæ, ex diametro contradicit Augustino, et debet fateri secundum consequentiam Augustini, quod etiam est vera illa locutio non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia sola misericordia non præstat efficaciam gratiæ, nisi simul cum voluntate hominis, quam tamen locutionem dicit Augustinus nullum Christianum dicere ausurum.

XI. Denique Vazquez fere etiam consentit Molinæ, dicit enim i p. disp. xcix, cap. ii, consensum nostrum non solum esse conditionem sine qua non, sed etiam causam particularem ut gratia Dei sit efficax, et disp. xcvi, cap. viii, num. xv, dicit quod ante præscientiam Dei, liberum est unicuique facere vocationem congruam, ipsum autem respondere vocationi esse a gratia, et a libero arbitrio ut a duabus causis per se necessariis; unde contra ipsum æque militant duo nuper adducta loca ex Augustino. Addit tamen contra Molinam, quod cum æquali gratia efficaci non stat unum converti, alium non converti, eo quod existimat quod ex duobus objectis æqualiter propositis non potest voluntas eligere nisi aliquod melius proponatur, unde si convertitur ideo est, quia melius sibi proponitur objectum. Secundo etiam pater Vazquez in illa disputatione

xcix, capite iii, convenit cum Molinæ, quod si prædefinitio Dei sit antecedens nostrum consensum conditionate prævisum, tollit libertatem, eo quod est suppositio antecedens, cui non potest resistere voluntas, sed addit capite septimo, quod Deus prædefinit actus nostros prædefinitione concomitante, scilicet eo modo quo de facto illos exequitur cooperando cum voluntate nostra, non applicando illam antecedenter, ut sic videatur admittere prædefinitionem aliquo modo contra Molinam, sed de hac prædefinitione concomitante recte dixit pater Suarez libro primo de prædestinatione, cap. xiii, num. vii, augere potius difficultatem, quam declarare; Deus enim non solum dat nobis gratiam cooperantem, et concomitantem, sed etiam operantem, nec solum concurrat quando credimus, sed etiam ut credamus, nec gratia solum est efficax ex effectu, et quasi ab eventu, sed antecedenter etiam ad effectum, quare oportet quod ante cooperationem concomitantem Deus decernat præordinando, et præparando voluntatem ut velit, et hoc est prædefinire. Sed non mirum quod Vazquez sic sentiat, cum in eodem capite septimo, affirmet rationem liberi non convenire actui nostro per respectum ad primam causam operantem, sed per respectum ad causam creatam, in quo ipse fatetur se contradicere doctrinæ S. Thomæ. Quare omnes istæ sententiæ non recedunt ab illa prima radice sententiæ Molinæ, quod efficacia gratiæ dependet a consensu nostro vel voluntate, et quod ejus infallibilitas, non ad intrinsecam infallibilitatem divinæ causalitatis, sed ad extrinsecam divinæ præscientiæ reducitur, qua prævidet quid factura sit mea voluntas ante omne decretum suum.

XII. Dico ergo resolutorie gratiam

esse efficacem ab intrinseco, et infallibilem, ideoque per aliquid intrinsecum, et reale distingui a gratia sufficienti, et quia hujus sententiæ fundamenta jacta sunt, restat Augustini mentem circa illam explicare, quod in tota hac materia de gratia principale fundamentum est. Et in primis pondero Augustinum expresse tribuere aliquid gratiæ efficaci, quod gratia sufficiens relicta cum sola voluntate nunquam perficiet, ut patet in libro de correptione et gratia, cap. xii, ubi postquam distinxit per suas definitiones gratiam sufficientem, et efficacem (ut supra retulimus) subdit de utraque gratia sic: « Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot, et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent: subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter, et insuperabiliter divina gratia ageretur, et ideo quamvis infirma non deficeret, nec adversitate aliqua vinceretur. » Ita Augustinus, ex quibus verbis sic formatur ratio: Si gratia efficax non distinguitur a sufficienti per aliquid intrinsecum, sed per solum consensum liberum subsecutum, ergo relicta gratia sufficienti cum voluntate ipsa consentiente reddetur efficax sine alia Dei operatione indeclinabiliter agente voluntatem: sed dicit Augustinus quod si relinquitur voluntas hominis cum hac gratia sufficienti ut permaneat si velit, deficiet nisi Deus operetur ipsum velle, et indeclinabiliter agatur voluntas a gratia Dei; ergo sentit Augustinus super-

THEOLOGIA VI.

addi aliquid gratiæ sufficienti ut voluntas ipsa operetur.

XIII. Secundo, pondero id quod dicit Augustinus libro de prædestinatione sanctorum, capite viii, loquens de gratia efficaci: « Quod hæc gratia quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur ut cordis duritia primitus auferatur »: et libro de correptione et gratia, cap. xiv: « Deo, inquit, volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium, sic enim velle, vel nolle, in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. » Et de eadem efficacia, et infallibilitate loquens in enchiridio, cap. xcvi: « Tunc, inquit, in clarissima luce sapientia videbitur quod nunc piorum fides habet antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, et immutabilis, et efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, et non velit, nihil autem velit, quod non possit, quamque sit verum quod in Psalmo canitur, Deus autem noster in cælo et in terra, omnia quæcumque voluit fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit, et non fecit, et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. » Ex quibus locis formatur argumentum: Secundum Augustinum datur aliqua gratia cui nulla duritia cordis, nec liberum arbitrium resistit, nec voluntas hominis impedit ne fiat; sed respectu gratiæ sufficientis voluntas nostra impedit, et duritia cordis respuit, quia de facto non habet effectum; ergo aliquid intrinsecum in ratione gratiæ habet gratia efficax, cui non resistit voluntas, quod non habet gratia sufficiens scui resistit; alioquin si quando Deus vult sua omnipotenti voluntate ut ali-